

fit, seruitutemque subiectam habeat: & regalis propter directionem pacis & iustitiæ, dissentiendique facilitatem, quæ in politica multitudine esse solet, à nationibus sit adinuentus: quorum vtrumuis paradisi leges respuissent, cum ibi summa omnium hominum libertas animorumque consensio futura fuisset: licet politico quodam ordine & ibi prælatio subiectioque in disponendo & gubernando multitudinem fuisset euentura, non quidem dominandi libidine, sed officio quodam consulendi digerendique, secundum quod quisque ad influendum, vel influentias ab altero recipiendum, iuxta suæ naturæ merita dispositus extitisset. Fuit itaque solum naturâ corruptâ regimen necessarium regale: demta enim culpa omnes secundum rationem humanitatis æquales sumus, vt inquit textus in c. de Constantinop. 17. dist. Sed cum peruersi difficile corrigantur, & stultorum (vt est in Ecclesiast.) infinitus sit numerus, & multitudo quæ non ab vno regitur, dissensionibus frequenter laboret, fluctuetque absque pace: quamobrem congruum erat in gubernatione mundi eligere vnum, quo indomita multitudo virgâ disciplinæ rigoreque iustitiæ regeretur. In cuius rei argumentum, gladius ille ante principem defertur sæculi, vt beati Apostoli ad Romanos verba testantur. Surgente denique propter dominandi libidinem inter gentes bellorum immanitate; præstantiores indignè ducebant, propter caduca rerum temporalium bona mortales inuicem cruenta gerere bella, humanumque profundi cruorem: & quo magis ab humana cæde temperarent manus, statuerunt vt qui iusto bello hostem potius vellet seruare quàm occidere, captus in seruitutem triumphantis transfiret perpetuam. Quo iure dominatus despoticus, qui est domini ad seruum, mundo etiam primùm influxit.

An